

Quaestiones disputatae (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Quaestio 2: *Utrum materia abstracta ab omni forma sit potentia pura vel dicat aliquam actualitatem?* (fol. 97ra)

NB! The question quotes largely *Disputed questions*, q. 6 by Peter de Falco,² and *Quodlibet* I, q. 10 by Henry of Ghent.³

*...** indicates a text from Question by Peter de Falco
/...// indicates a text from Quodlibet by Henry of Ghent

*Quaeritur, utrum materia abstracta ab omni forma sit potentia pura vel dicat aliquam actualitatem? Et videtur, quod sit pura potentia nullam habens actualitatem, quia secundum Philosophum materia est potentia tantum.*⁴ Sed quod est tantum in potentia, non est in actu, ergo etc.

Item,
quod nullam habet formam, non habet esse, cum secundum Boetium, omne esse fit a forma.⁵ Sed materia, ut supponitur, nullum habet formam, ergo nec esse.

Item,⁶ nihil potest fieri sine eo quod includitur in sua ratione. Sed forma includitur in natura et ratione materiae. Ergo materia sine omni forma nullum

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Quaestiones disputatae q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Pierre de Falco, *Questions disputées ordinaires*. Ed. by A.-J. Gondras. Louvain, Paris: Éditions Nauwelaerts: Béatrice-Nauwelaerts, 1968.

³ Henricus de Gandavo, *Quodlibet* I. Opera omnia 5. Ed. by R. Macken. Leuven: Leuven University Press, 1979.

⁴ Aristoteles, *Metaphysica* IX.8, 1050a.

⁵ Boethius, *De trinitate* cap. 2.

⁶ Cf. Pierre de Falco, *Quaestio* VI, art. 1, p. 219.

habebit esse. Maior patet, minor probatur, quia materia de se et de sua natura habet partem extra partem. Sed includere in sua natura partem extra partem, est includere quantitatem, quae est forma. Ergo, ponere materiam esse sine omni forma est impossibile.

Item, nihil est ens nisi sub aliqua ratione determinata entis. Sed materia non est sub aliqua ratione determinata entis, quia non est substantia, nec quantitas, nec aliquid tale, cum sit in potentia ad omnia ista, ergo etc.

Contra, illud quod nihil est ita quod non dicit aliquam entitatem, non potest esse terminus creationis. Sed materia de se potest esse terminus creatoris, ergo materia de se dicit aliquam entitatem praeter formam.

Item, illud quod est pars realis alicuius dicit aliquam entitatem realem. Sed materia est realiter pars compositi, ergo dicit aliquam entitatem realem.

Item, illud quod est subiectum alicuius est aliqua entitas. Sed materia secundum omnes philosophos est subiectum generationis et corruptionis, ergo est aliqua entitas.

Item, illud quod potest super se recipere aliquid et illud sustentare est aliqua entitas. Sed materia exuta ab omni forma potest super se recipere formam, ergo etc.

Item, illud in quo aliquid fundatur est aliquid, sed potentia passiva et inclinatio ad formam fundatur in materia, ergo materia est aliqua entitas.⁷
<97rb>

Respondeo, dicendum, quod materia de se et de sua quidditate absque omni forma dicit aliquam entitatem. Ad cuius evidentiam est notandum quod entitas dupliciter dicitur sive actualitas. *⁸ Uno modo proprie et simpliciter, alio modo secundum quid sive communiter.

Entitas sumpta proprie et simpliciter est entitas formalis, quae per formam inest composito et materiae in composito, quae est principium actionis, qua manifestatur nobis actus primus interior, scilicet actus essendi, sicut per ignitionem esse ignitum, per intellectionem esse intellectivum. Et sic dicunt sancti et philosophi, quod esse sive actualitas est a forma. Et sic esse est quaedam imitatio divini esse perfecta et per actum secundum manifestata. Et sic dicit Augustinus, *De vera religione, capitulum XXXV*,⁹ quod omne formatum, in quantum formatum

⁷ add. in marg. *Commentator, De substantia orbis, circa principium de materia sic dicit, unde necesse est naturam huius subiecti recipias substantiales formas, scilicet primae materiae esse naturam (scripsit sed. del. materiae) potentiae, scilicet quod potentia est eius forma substantialis. Et ideo nullam habet formam propriam et naturam existentiae(?) in actu, sed est substantia in potentia. Et ideo difficile est ymaginari aut intelligere nisi in comparatione ad aliud, ut Philosophus dicit.*

⁸ Pierre de Falco, *Quaestio VI*, art. 1, p. 230-232.

⁹ Augustinus, *De vera religione* cap. 18.

est, est scilicet perfecto et manifesto.

Alio modo dicitur entitas secundum quid et communiter entitas essentialis, quae est quaedam imitatio divini entis imperfecta, quodam modo occulta, quia per actum secundarium non manifestata, immo actu rationis arguentis ab uno in aliud. Et sic vult Philosophus,¹⁰ quod materia scitur, scilicet, per ab intellectu nostro per analogiam ad formam. Et sic materia prima, ab omni forma denudata, est quoddam ens. Nam materia non tantum quo ad suum esse formale creata est a Deo, immo et quo ad suum esse essenziale secundum id quod est. Aliter materia esset medium inter creatorem et creaturam, quod non esset creator nec creatura, quod est erroneum et excommunicatum. Et sic dicit Augustinus, *De vera religione*,¹¹ bonum est omne formatum. Nonnullum est ergo bonum capacitas formae, et ideo bonorum omnium actor, qui praestitit formam, ipse fecit et posse formari. Et Hugo, *De sacramentis libro I, parte I, capitulum I*,¹² omnia, quae facta sunt, Deus non solum ex materia fecit sed materiam omnium ipse de nullo creavit. Unde in principio *Genesis*,¹³ in principio creatum Deus caelum et terram.

Est ergo materia secundum suam essentiam quoddam ens diminutum, quodam modo occultum, quodam modo manifestativum, Dei entis imitativum. Sed non est ens perfectum per actum suum nobis manifestum. Unde est ens secundum quid, non simpliciter.

Unde Augustinus, *XII liber Confessionum capitulum II*,¹⁴ si dici posset¹⁵ 'nihil aliquid', et 'est et non est', hoc eam, scilicet materiam, dicerem.

Et quia entitas sive actualitas et possibilitas dicuntur relative, quia potentia dicit respectum ad actum, et si unum oppositorum dicitur multipliciter et reliquum, ideo possibilitas dicitur dupliciter sicut et entitas.

Et uno modo dicitur proprie, scilicet capacitas entitatis formalis. Et talis possibilitas est in rerum natura, scilicet in materia, quae est in potentia ad omnes formas et ad esse formale. Et haec potentia dicitur proprie, tum quia realis, tum quia respectu entitatis formalis, quae est entitas proprie et simpliciter. Et sic dicit Augustinus, *De vera religione capitulum XXXV*,¹⁶ quod omne formatum¹⁷ in quantum formatum est, et omne quod nondum formatum est, ex Deo habet quod formari possit. Et sic vult Philosophus, *II Metaphysicae*,¹⁸ quod materia est fundamentum naturae.**

¹⁰ Aristoteles, *Physica* I,7, 191a.

¹¹ Augustinus, *De vera religione* cap. 18.

¹² Hugo de Sancto Victore, *De sacramentis christianae fidei* lib. 1, p. 1, cap. 1.

¹³ Gn 1:1.

¹⁴ Augustinus, *Confessionum libri tredecim* lib. 12, cap. 6.

¹⁵ scripsit sed del. *aliquid*

¹⁶ Augustinus, *De vera religione* cap. 18.

¹⁷ Add. in marg. *Nota secundum Augustinus, XII Confessiones, quod materia est informis indistincta(?) sine ordine, ex quibus sequitur materiam non posse esse sine forma.*

¹⁸ Aristoteles, *Metaphysicae* I.8, 989a.

Et haec potentia materiae est idem, quod ipsa essentia materiae sub sola ratione respectus ad formam, quia nullam rem apponit, nec aliquam compositionem in re, quia si in aliqua re absoluta differret talis potentia ab essentia materiae, esset actus et forma in materia, cuius proculdubio materia esset receptiva et in potentia ad eam. Et de illa potentia esset eadem quaestio, et sic esset abire in infinitum, et sic potentia nominat respectum fundatur in materia, et ex se, non ex alio aliquo existente in materia differente re ab ipsa. Quem(?) ad modum similitudo habet esse in homine albo per respectum ad alium album per suam albedinem quam habet in se. Et haec est potentia pure passiva ad quam habet reduci omnis ratio potentiae passivae, ut determinat Philosophus in *V(?)* et *IX Metaphysicae*.

*¹⁹Alio modo dicitur possibilitas communiter et non ita proprie, scilicet capacitas entitatis essentialis ipsius materiae. Et haec capacitas sive possibilitas non est in re, sed tantum in ratione.²⁰ In re non est, quia materia est primum fundamentum omnium formarum. Ideo materia non est generabilis nec corruptibilis, ut docet Philosophus, *I Physicorum*,²¹ quia non habet subiectum ante se, ex quo generetur vel in quod resolvatur. Non enim omne creatum oportet esse in alio receptum, quia tunc C in B, B in A, et sic in infinitum, quod est impossibile. Immo oportet ponere unum ens creatum, omnium aliorum receptivum, in <97va> nullo alio receptum. Et haec est materia, quae est fundamentum omnium formarum. Sed ista capacitas est in ratione apprehendente, quae intelligit hanc capacitatem secundum modum, secundum quem intelligit capacitatem entitatis formalis.**

Hiis igitur sic visis patet quaestio quaesita. *²² Si enim actualitas dicatur entitas completa, per actum suum nobis manifestata, sic materia prima in essentia sua nihil habet entitatis.

Et ad hoc est ratio ex materiae transmutatione et privatione. Nam, ut patet ad sensum, materia tendit ad formas et inclinatur ad illas. Unde vult Augustinus, *libro XII Confessionum, capitulum X*,²³ quod mutabilitas docuit materiam. Idem vult Philosophus et Commentator. Constat enim, quod nihil movetur ad illud quod habet, habitibus enim existentibus in materia amplius non est motus, ergo cum materia transmutetur ad omnis formas, nullam illarum de natura sua habet actu, immo est in potentia ad omnis illas possibilitate, quae dicitur capacitas entitatis formalis.

Sic ergo materia in sua esse nihil habet entitatis formalis, et hoc modo est in potentia possibilitate reali.

¹⁹ Pierre de Falco, *Quaestio VI*, art. 1, p. 232.

²⁰ Add. in marg. *Et quod talis potentia realis esse non possit, patet per illud Augustini, VII De trinitate capitulum I, ubi dicit, quod omne quod relative dicitur est etiam aliquid (scripsit sed del. potest illud quod) excepto relativo. Unde ibi expresse ponit, quod impossibile est esse relationem nisi sit aliquid quod relative dicatur. Sed tali potentiae, quae relatio est, nulla entitas subesse(?) potest in qua fundetur illa relatio.*

²¹ Aristoteles, *Physicorum IX*, 192a.

²² Pierre de Falco, *Quaestio VI*, art. 1, p. 233-235.

²³ Augustinus, *Confessionum libri tredecim lib. 12, cap. 6; 8.(?)*

Et haec²⁴ est ratio Augustini, *XII Confessionum II capitulum*,²⁵ mutabilitas, ait, rerum mutabilium capax est omnium formarum, in quas mutantur res mutabiles. Et haec quid est? Numquid animus? Numquid corpus? Nunquid species animi vel corporis? Quasi diceret non.

Et haec est ratio Philosophi, *II Metaphysicae capitulum V*,²⁶ ubi dicit, quod in fundamento naturae nihil est distinctum, non est substantia, non est qualis, nec quanta, sed ad omnia ista quid indeterminatum.

Et haec ratio est Commentatoris ibidem qui dicit, quod materia prima, cum sit in potentia ad omnes formas, nullam illarum habet actu, quia principium non debet esse in aliqua dispositione eorum, quae fiunt in eo.

Si vero actualitas dicatur entitas diminuta, quae est imperfecta imitatio divini entis, scilicet entitas essentialis, sic in materia secundum naturam suam est actualitas.

Et ad hoc est ratio ex materie in se perfectione. Omne enim producitur, in quantum productum, habet a producente aliquid perfectionis, qua producendi assimilatur et qua ipsum imitatur. Materia vero producta est a Deo, non tantum quoad esse formale, immo quoad suum esse essenziale, quod a solo Deo creante habet, non ab actu informante. Nam unum oppositorum non est causa formalis alterius, ita quod eum ponat in esse suo. Sed materia et forma sunt opposita. Ergo remota omni forma saltem per intellectum, materia habet in essentia sua aliquid positivum, quo Deum imitatur et quo Deo assimilatur secundum modum suum. Unde in se habet vestigium Trinitatis, unitatem, veritatem et bonitatem, quae tria fundantur super quidditatem entem, non futuram, habitam non habendam. Nihil enim habet verum, unum, et bonum, nisi ens. Ens enim est prima intentio, quae praesupponitur in aliis et includitur in eis.

Unde dicit auctor, *De causis*,²⁷ quod prima rerum creatarum est esse, et non est ante ipsum creatum aliud. Et Commentator dicit ibi, quod post primam causam non est aliquod causatum ente latius. Ideo, materia prima in sua essentia habet aliquid actualitas sive entitatis. Unde dicit Augustinus, *De vera religione capitulum XI*,²⁸ quod omnis res vel esse, vel natura, vel si quo alio verbo melius enuntiatur simul habet haec tria, ut unum aliquid sit et specie propria discernatur ab aliis et rerum ordinem non excedat.**

²⁹ Et Plato, quaerens quae sit natura materiae, in *II Timaei*, sibimet respondens dicit, quam igitur eius vim quamve eius esse naturam putandum est? Opinor, omnium quae gignuntur receptaculum est. Et cum velit in eius gremio formantur, ipsa informis manet,

²⁴ scripsit sed del. r

²⁵ Augustinus, *Confessionum libri tredecim* lib. 12, cap. 6.

²⁶ Aristoteles, *Metaphysicae* I.8, 989b.

²⁷ *Liber de causis* proposition 4.

²⁸ Augustinus, *De vera religione* cap. 7.

²⁹ Henricus de Gandavo, *Quodlibet* I, q. 10, p. 73.

estque usus eius similis molli, cedenti quaecumque materiae, in quam imprimuntur varia signacula, modificantur et configuratur omnimode ab intentionibus, ipsa vero nec formam nec motum habens ex sui natura, omni forma carens. Ideoque neque terra neque aqua nec quicquid aliud ex hiis creatum appellandum est, sed invisibilem potius species quandam et informem capacitatem, mira quaedam et incomprehensibili ratione inter nullam et aliquam substantiam, nec plene intelligibilem nec plene sensibilem³⁰ positam, sed quae ex hiis quae in ea communicantur intelligi posse videatur, cum tamen nihil sit.//

Et ideo verissima sunt omnia dicta de materia, quae est proprie nihil et quod est inter ens et non ens, et cetera talia, quae inveniuntur in dictis sanctorum et philosophorum. /³¹ Aequivocatio ergo et imperfecta determinatio veritatis in philosophia decipit credentes, quod nullum sit <97vb> esse nec aliquis actus aut aliqua existentia in actu nisi formae vel a forma.//

Et ex hoc patet alia quaestio, scilicet quod Deus potest facere materiam sine forma? Cum ipsa sine omni forma et per se ipsam habet esse. Et etiam cum multo minus ipsa a forma dependeat quam accidens a subiecto, et tamen fit accidens sine subiecto. Et etiam cum Deus possit facere quicquid non implicat contradictionem. Hoc vero nullam implicat contradictionem.

Ad primum argumentum in contrarium et secundum, patet responsio per ea quae dicta sunt.

Ad tertium, dicendum, *³² quod quantitas est in subiecto divisibili habente partem extra partem, non ante quantitatem in actu, immo cum est sub quantitate, quae est ratio extensionis. Partitio vero partium materiae vel extensio non dicitur quantitas, quia illud, quod est per se partibile et extensibile, dicitur quantitas. Hoc autem accidit materiae, ut materia est. Sed materia, ut quanta, est partibilis. Materia prius est diversa habitu, quia causa radicalis quantitatis. Sed quantitas prius actu, ut forma, de cuius ratione est partitio.**

Ad aliud, dicendum secundum quod [ens]³³ communiter dividitur, non dividitur nisi in illa, quae sunt per se entia complete sicut, substantia composita et talia. Et quia materia non est tale ens completum, ideo non cadit sub aliqua ratione determinata entis. Bene est tamen substantia, sicut patet per Boetium, *Super libro Praedicamentorum*, et quando Philosophus dicit, quod non est substantia, debet intelligi composita, vel completa et perfecta.

³⁰ scripsit sed del. s

³¹ Henricus de Gandavo, *Quodlibet* I, q. 10, p. 74.

³² Pierre de Falco, *Quaestio* VI, p. 244.

³³ add. in marg.